



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

de diocesana Synodi certi indicimus, summo mane in nostram Metropolitanam Mediolanensem Ecclesiam conueniant: idq; non alij eorum nomine sed ipsimet, nisi legitima causa quam probare debent, impediti sint, praesent: Inde autem, cum conuenerint, ne cuiquam discedere liceat, nisi impetrata a nobis facultate.

Edicimus praeterea, id quod nostro provinciali concilio secundo decretum est, ut post indictam huius Synodi promulgationem, in omnibus & urbis & diocesis nostrae Ecclesijs parochialibus, quinta quaque feria in singulas hebdomadas, quoad ipsa Synodus absoluta ac dimissa de more erit, in Missa sacra oratio de Spiritu sancto dicatur; in Metropolitana autem, et Collegiatis processio num etiam minus singulis Dominicis diebus intus obeatur; ex animoq; preces fiant, quibus a Deo auxilium impetretur pro optimo Synodali tractationum euentu.

Monemus item eos omnes & singulos ecclesiastici ordinis homines, ut nec etiam in itinere quod Synodi causa huc facturi sunt, neque uero hic item, ab ea uiuendi frugalitate, sacerdotali modestia atque grauitate, qua provinciali concilio priori praecipitur, discendant; sed eum exemplum fidelibus afferant, ut monet Apostolus, in uerbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate; tum nobis a Deo optimo maximo, omni animi pietate, sacrificijs, precibus, ac ieiunijs auxilium implorare studeant. In quarum rerum fidem has litetas nostra nostrisque Cancellarij manu signatas confici, sigilloque nostro muniri, & promulgari, Metropolitanæque nostrae, & Collegiatarum Ecclesiarum, Aediumque Archiepiscopaliu[m] ualuis publice affigi iussimus. Quam affixionem habere eam vim uolumus, ac si ipsis singulis quorum interest, illæ allatæ ac denunciatae essent. Datum ex

Palatio nostro Archiepiscopali die 8.

Martij 1572.

DECRETA EDITA IN
Synodo Diocesana tertia
Mediolanensi.

Decretum. I.



Quia in ecclesia Sancti alicuius corpus reconditum est; cum eius dies festus agitur, tunc in ea de illo Sancto Missa sacrum ritu solenni fiat.

Sacramentum reliquiarum, quo die eorum festus agitur, ueneratur.

Locus praeterea ubi eius corpus situm est, decenter ornatur; tum campanarum sono, ut Ecclesiae institutum ac mos est, ea significatio fiat, qua cognosci possit festum diem in illa Ecclesia celebrari: & omnis denique alius adhibeatur Ecclesiasticae pietatis ritus ad recolendam Sancti illius memoriam.

Decretum. II.

In sua parochiali ecclesia dum Parochus concionatur, ne ulli sacerdoti, ac ne ei quidem qui una cum eodem Parocho in illa ipsa ecclesia curam animarum gerit, Missa sacrum facere, aut baptismi (si modo mortis periculum non imminet) sacramentum ministrare liceat.

Parochus in sua ecclesia concionante nemo missa celebretur.

Decretum. III.

Qui sacerdotes in ecclesia collegiata vel cappellas obtinent, vel elemosinae nomine statis diebus ibidem Missa sacrum faciunt; qui praeterea Clerici eidem ecclesiae adscripti sunt; ij una cum eiusdem ecclesiae clero publicas supplicationes obeant, nisi sacerdotes ipsi ab eo sint munere immunes, quoniam alteri ecclesiae addicti iam sunt.

Beneficia obtinentes in aliqua ecclesia, vel in ea adscripti, ad processionem conueniant.

In omnibus item processionibus (ijs solum exceptis quae Ambrosianarum litaniarum tempore fiunt) Clerus uniuersus ad libri sacerdotali; vel alterius Archiepiscopi arbitratu deligendi praescriptum, semper aliquid canat cum ea re conuenient, cuius causa indictae sunt supplicationes.

Decretum. IIII.

Singulis diebus festis, qui vel Ecclesiae praecipito vel consuetudine conueniunt, in parochiali sua ecclesia Parochus uesperarum officium canat, datis tamen prius stata hora, ut moris est, campanarum signis.

Vesperarum officium in parochiali ecclesia festis diebus recitetur, & quinā inter esse debeat.